128 244

Salutem et perennem observantiam!

Illustris Vir,

Domine, ac Patrone venerande;

Quanto hucusque tenear desiderio Tuarum ad binas nuper meas responsoriarum, vel inde, si nihil aliud commemorem, probari potest, quod absolutum, ope Dei, haud ita pridem, in Taciti Germaniam, commentarium meum, initiali schedula illa, quae et inscriptionem et praefationem pro more continet, nolim muniri prius, quam vel elogium abs Te, Domine, (si tamen mereor) vel judicium, super labore meo isto, Tuum, prosaicum metricumve, nihil interest, reportem.

Ac ego quidem, nulli, praeter Te, Illustris Vir, donum ante tribui, quem modestissime nunc etiam efflagito. Nosti, quid Scaliger Josephus imprimis iste, quid Lipsius, quid alii summi Heroes literarum (quos Tute eximie ubique refers) similia humaniter petentibus, praestiterint.

Noli quaeso contemptu silentiove meam frustrari confidentiam; qui sic Te ut in aliis, ita etiam in rebus Germanicis Aristarchum veneror, et a Numine in sublimem istam gloriam locatum scio, ut tantopere publicum ubique promoveas, quemadmodum inferiora haec sol animat.

Consecratus est libellus iste meus Serenissimo Saxoniae Electori-Principi: qui eosdem ab impudentissimo calumniatore, propter scriptum [illegible], superiore anno evulgatum, imo contra eam meam, severissimi mandati vindicat in praesens, quod ideo referre debui, ut ne forsitan [illegible] Te laudis alicujus in me conferendae. Nunc, quod superest, vale ad arbitria votorum, Vir Summe, et, si per gravissimas occupationes Tuas licet, quam proxime rescribere ac dignare.

Wittebergae a. d. x. Julii A° 1664.

Illustris Tui Nominis virtutumque excellentiarum

admiratorem perpetuum

Georgium Casparum Kirchmajerum

Eloqu. [illegible]

129v

18

Summo ac Illustri Viro
Dn^o. HERMANNO CONRIN-
GIO etc. etc. Domino et
Patrono ætatem venerando ./.

Prs. 10 Julij Ao. 1664

Kirchmajeri Professor
Eloquentiae Witteberg.

Helmaestadium